

DISCURSUS THEOLOGICUS

præjudicare nihil poterit. Si enim probetur, Christum prohibuisse primatum & Monarchiam in Ecclesiâ, nil efficient vel speciosissima Politicorum argumenta, licet integris plaustis adveherentur, & per integros tricubitales commentarios, pomposis ampullis & verbis sesquipedalibus urgerentur.

Questio Tertia.

An Ecclesia Veteris Testamenti

Monarchicè fuerit gubernata?

L X X V I I.

Duo sunt, quæ Pontificij circa questionem hanc disputare solent communiter, 1. quòd Ecclesia Israëlita in V. T. non Aristocratico, sed Monarchico modo fuerit gubernata. 2. quòd propterea etiam in Ecclesiâ Christianâ N. T. similis ratio observari debeat, quandoquidem Vetus rerum in Novo gerendarum typus fuerit & præfiguratio, juxta 1. Cor. 10. v. 10. Hebr. 10. v. 1. De qua utraq; assertione Papisticâ paucis est agendum.

L X X V I I I.

Utq; à primâ exordiar, expressis verbis legitur ea apud Bellarminum l. 1. de P. R. c. 9. col. 629. A. Tempore, inquit, Testamenti Veteris semper fuit unus, qui omnibus præerat in iis, quæ ad legem & religionem pertinebant. Ac præsertim ab eo tempore, quo cœperunt Hebræi redigi ad formam populi, & gubernari legibus & magistratibus: quod fuit post egressionem ab Ægypto. Tunc enim Moses ordinavit Rempublicam Judæorum, scripsit eis leges, quas à Deo acceperat, Aaronem consecravit Pontificem, eiq; uni Sacerdotes omnes & Levitas subjecit.

L X X I X.

Annuat Costerus c. 3. Enchiridii, p. 124. ita scribens: In Judæorum Synagogâ, in quâ tanquam primis lineamentis majestas Ecclesiæ Catholicæ adumbrata fuit, unus Aaron cum posteris suis, præfectus est facris, illisque rebus, quæ ad populi institutionem, & spiritualem directionem faciebant, non modò, ut doctor vel inspector, vel ceremoniarum curator; sed ut verus cum imperio & autoritate Princeps. Manifestius hoc ipsum exprimit Gretserus l. 1. de P. R. in defens. c. 9. col. 467. A. Summus, ait, & universalis Monarcha erat Moyse, item Aaron, postea successores Aaronici. Hac illi.

Quoniam